CONCLVSIONES SEQVENtes more ſcholaſtico defenſabit M. Beatus Dinnerus Vberlingenſis in Theologorum ſchola Ingolſtadij, præſidente Oſualdo Arnſperger, artium, & Theologiæ doctore, in uigilia S. Bartholomæi, Anno domini XLVII.

V. CHriſtus Saluator noſter, in hoc quod paſſus eſt pro toto genere humano, in patiendo, ſibi & nobis ſic meruerit, & pro nobis ſatisfecerit, ut iam amplius haud opus ſit bonis noſtris operibus aliquid nos mereri, aut ſatisfacere pro peccatis noſtris?

Concluſio prima.

Chriſtus paſſus eſt pro toto genere humano: Nam ſecundum communem legem in Adam omnes mortales peccauerunt, propter quod communi Redemptore omnes indiguerunt.

Secunda.

Hinc factum eſt, quod paſſio Chriſti ſit ueluti uniuerſalis contra omnium peccatorum uulnera medicina quædam diuinitus ordinata. Quemadmodum autem medicina corporis, quantumuis efficax et communis ſit, nunquam tamen curat male habentem, niſi fuerit ei applicata, Ita non ſufficit Chriſtum medicinam illam generalem, per ſuam amaram paſſionem confeciſſe, niſi ea ipſa nobis per fidem, et illius ſacramenta adhibeatur.

Tertia.

Quocirca meritum Chriſti ſufficientiſſimum fuit, quo ſibi et nobis meruit, Sibi quidem corporis dotes, et nominis ſui exaltationem, Nobis uero peccatorum remiſſionem, collationem gratiæ, et deniq; cæleſtis regni apertionem.

Quarta.

Meritum ergo Chriſti recte dicitur infinitum, adeo quod ſi eſſent plures mundi, unica mors Chriſti ſufficiens fuiſſet omnes illos redimere.

Quinta.

Cæterum utcunq; Chriſti meritum ſit infinitum, ipſis tamen ſolis prædeſtinatis gratiam finalem, et gloriam perhennem efficaciter meruit.

Sexta.

Prædeſtinatio ergo, etſi coram Deo ſit certa: Nemo tamen de prædeſtinando ſe ita præſumat, nec de reprobando, ſeu non prædeſtinando ſe, ſic deſperet, ut bene agere ceſſet. Iudicamus enim eiuſdem eſſe ueritatis, prædeſtinationem non poſſe caſſari, & perſeuerantem in bono, non poſſe perire.

Septima.

Quare perſeueranter operemur bonum ad omnes, ut iuxta D. Petri ſententiam, per bona opera certam noſtram uocationem, et electionem faciamus.

Octaua.

Intrepide enim cum Catholicis patribus aſſerimus, Chriſtum ſic meruiſſe nobis, ut illius meriti, noſtris meritis participes fieri ſit neceſſe.

Nona.

Quapropter bona noſtra opera meritoria ſunt non ex ſe, ſed ex Dei gratia, et Chriſti merito, adeo ut recte Auguſtinus dixerit. Deus dum merita noſtra remunerat, dona ſua in nobis coronat.

Decima.

Concluſiue ſequitur, quod anima hominis, gratia Dei adornata per opus a uoluntate et Dei gratia elicitum, de condigno mereatur æternæ beatitudinis præmium.

Finis.

A. 1547
14